





RECTOR
ACADEMIAE VITENBERGENSIS

1776, 6^e
21

IOANNES MATTHIAS
SCHROECKHIUS

HISTORICAR. PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS
BIBLIOTHECAE ACADEM. DIRECTOR INSTITVTI
REGII HISTORICI GOTTINGENSIS MEMBRVM
ORDINAR. ET SOCIETATIS LATIN. MARCH
BADENS. SODAL. HONORARIVS

ORATIONEM

A

CAROLO SAMVELE MVLLERO

KEMBERGENSI

ART. LIB. MAGISTRO AC THEOL. CVLT
FVTVRO DIE VENERIS

H. L. Q. C. HABENDAM

CIVIBVS HVMANISSIMIS

COMMENDAT

ORTHODOXA
DE FINE MVNDI
SENTENTIA

SPEC. IX

Hebraei, quando res est in alium translata
statum, eam saepissime infitiantur esse.
Primum quidem receptus a Deo legitur
Henochus, pietatis insignis ergo, nus-
quam fuisse, אֵינְנוּ, (Gen. V. 24) οὐκ εὐερίσμετο
(Hebr. XI. 5.) Quis, uirum sanctissimum totum
consumptum, ea de causa somniabit. Sors ei me-
lior euenit. Sed haec ipsa formula in res quoque
malas cadit. Sic apud Ieremiam (XXXI. 15.) Rahel
liberos deplorat, consolatione repudiata, כִּי אֵינְנוּ,
seu, ut cum LXX. Matthaeus interpretatur, ὅτι οὐκ
εἶσι, quia nullus superest. Quis haec simplici-
ter accipit, nec potius de grauissimis aeru-
mnis, quibus Rahelis posteri sunt partim caesi, par-
tim in exilium calamitosissimum asportati, ut, si
praesentem ipsorum fortunam cum superiore com-
posueris, nulli esse uideantur. Neque uero haec
loquendi ratio est apud Graecos inusitata, e quibus,
post Gatakerum de stylo N. T. c. 19. Kypkius in
obseruationibus sacris (p. 9) multos locos consimi-
lis sententiae decerpit, ubi οὐκ εἶναι, οὐδὲν εἶναι, μη-
δὲν εἶναι, de uarii generis calamitatibus, de senectute

te

te infirma, de egestate, de contemptione, de morte, frequentantur. Contra ea sunt *ōvres* uiui, locupletes, florentes rebus, ad uoluntatem fluentibus. Itaque si uelim talia, perinde ac Latinorum fuit, de mortuo, nullus sum, non sum amplius, de aerumnoso, ad nihilum reducere, quis humanitatis non expers me feret. Istud autem defenditur temere, de hominibus facinorosis tales formulas non adhiberi. Quid clarius Dauidis precibus (Ps. LIX. 14.) confice homines uitiis obrutos, mihi que infestos, seuerere, confice, ut nulli sint. Quid neruosius minis interitus generis prauis, quibus Dauides curas pellit (Ps. XXXVII. 10. 35. 36.) paullo post iam nusquam erit impius, cuius locum si contemplare, nusquam extabit. uidi ferocem hominem, flagitiis contaminatum, et frondentis more lauri uirentem, qui deinde, cum praeterirem, iam non extabat, quaerentique mihi non apparebat. Eadem uehementia Ieremias terret Idumaeos, iisque excisionem ac uastitatem praedicit (XLIX. 10) Ego uero Esauum ita spoliaui, itaque eius abdita detexi, ut latere nequeat, ita perdita eius progenie, et cognatis, et uicinis, ut ipse nusquam sit. Quae, nisi quid fallor, in promptu ponunt, huiusmodi locutiones cautius tractandas, ne, dum uerbis inhaeremus nimium, amisisse uerae gustum elegantiae uideamur. At uero, tempus non erit amplius, conceptis iurat uerbis genius ille Apocalypticus. Si tempus non superest, nec

2

mundus

mundus relinquatur, quocum tempus artissime copulatur. Quod si tempus mathematicum seu physicum cessat, quod siderum cursu dimetiri solent, quodque Calovius quoque huic importat loco, num propter ea metaphysicum quoque finem habet. hoc enim rerum successione finitarum continetur, neque a futura uita, siue genitorum, siue hominum, potest unquam seiungi. Sed haec graciliora sunt, quam ut eorum cogitatio legati mentem coelestis subierit. Digniore promittit sententiam et luculentiorem Grotius. *non diu erit, quin arcanum Dei consilium compleatur. nam χρόνος οὐ ἔσαι ἔτι significat, non diutius differetur. Idem est, quod οὐ μὴ χρόνῳ Hab. II. 3.* Addere Paullinum illud liceat (Hebr. X. 37) admodum breue tempus superest, quo uenturus ille appetet, nec morabitur. Quibus Vitringa merito suffragatur, fore, ut mora nulla temporis inter septimae clangorem tubae intercedat, oraculorumque diuinitus editorum complementum. Pluribus idem momentis uulgarem de tempore physico explicandi rationem reprehendit (Anacris. Apocal. p. 433 sq.) ex ipsa proprietate uocis χρόνου, qua dilationem quandam significet, sicut uerbum χρονίζω comprobet, recteque summonet, ἀλλὰ u. 7. haud negligendum. *aduersatiua uocula ἀλλὰ notat ἀντίθεσιν inter priorem et posteriorem partem huius orationis. an ἀντίθεσις illa obseruari poterit, si per tempus hic intelligamus cursum saeculorum.*

lorum. an enim oracula prophetarum implementum
sortiri nequeunt currentibus saeculis. an cursus tem-
poris prohibebit, quo minus oraculorum et promisso-
rum Dei fides liberetur. Contra est. Oracula prophetarum
impleri oportet, dum saecula currunt. Transeant
caeterae Gerhardt rationes, ut nomini eius parcamus.
Tam parum firmamenti habent, tam parum uirium.
Quoniam tamen postremo contra statuentes per ri-
sum contemnit, variarumque accusat nugarum, ut
bonae causae conflet inuidiam, ab arena discedere
prius non licet, quam cauillationes leues reieceri-
mus. Sunt enim, quos ioci facilius a uero abducant,
quam persuasiones flectant grauissimae, mobilitate
ac leuitate animi uolaticos. Ergo nos opprimere
Gerhardus conatur *absurdi*, sicut satis urbane scribit,
consecutione (p. 143) Quod quo facilius consequatur,
ratiocinationum, inter sese copulatarum, mul-
titudine nos oppugnat. *Si coeli et terrae expectatur
futura quaedam renouatio, utique etiam reliquarum
creaturarum ἀποκατάστασις expectanda erit. neque
enim dari potest euidentis ratio, cur quaedam duntaxat,
et non omnes creaturae sint renouandae.* Quod argu-
mentandi genus cum ab singulis progrediatur ad
omnia, mihi non magis ualere uideretur, quam, si
quis domum uidens instauratam, suppellectilem quo-
que priorem, qua nunc non amplius est opus, quod
longe splendidior adest, in ea quaerat. Euidenter
rationem, cur quaedam modo res creatae noui fi-
ant

ant status participes, sibi Gerhardus ipse in eadem pagina reddat, dimissis iis, de quibus merito dubites. *post saeculi consummationem cessabunt uicissitudines, corpora uero beatorum glorificata nec uictu, nec uestitu, indigebunt.* Alii Dei fines alium poscunt apparatus, ornamenta alia. Sed liberales simus, concedentes, reliquas etiam res creatas in huius gaudii societatem uenturas, num ridendi materiam iudicibus aequis suppeditabimus. An Gerhardus risum moueat in re seria, uideamus. *si elementa sunt renouanda, utique etiam corpora mixta, et animata, ex elementis orta, iisdemque praestantiora.* Temperemus modo cum Paulo pronuntiatum, remotis partibus crassis, caducis, ac pestiferis, retentis tenuioribus, firmiteribus, salubrioribus. Iam quid inde incommodi. Plurimum secundum Gerhardum. *si animalia ac plantae renouandae, aut omnia, quae unquam extiterunt, specierum indiuidua renouabuntur, aut quaedam duntaxat, illa scilicet, quae extrema mundi conflagratio in die nouissimo apprehendet.* Sic Theologus eximius ratiunculae patronus existit, qua reditus mortuorum in uitam subiicitur irrisioni, aut omnes corporis partes reficiuntur, aut quaedam. si prius, enormem magnitudine colossum illudaequiparabit. sin posterius, cur caeterae nihili putantur, praesentis quoque uitae participes. Tales mihi liceret reprehensiones eadem responsione declinare, qua similes euitauit ille (de resurr.

resurr. mort. §. 39. p. 391.) *praestat incomprehensibilem Dei sapientiam ac potentiam in hoc opere mirari, quam eius modum ac rationem scrupulose rimari.* Manum tamen conferre praestat, quam timide se recipere. maiorem enim speciem prae se fert, quam uirtutem, quod ex iis colligitur. *si reuertentur omnia in nouum orbem, quo modo hic omnia indiuidua animalium aereorum, terrestrium, aquatiliū, amphibiorum, capiet, nisi mirandum in modum dilatur, eiusque pmoeria proferantur.* Nihil impediret, quo minus hanc amplificationem finium susciperem, non fatuam sane ac futilem. Sicut enim splendoris et magnificentiae causa principes terminos proferunt urbium, quidni ciuitas quoque Dei futura, hacce longe splendidior, explicatis partibus, augetur, ut magnitudo dignitati respondeat. Vereor tamen, ne Gerharo acciderit idem, quod Tyffoto de Patot, qui ficto Iacobi Massaei nomine scripsit uoyages et auantures de Iaques Masse. Is uitam, mortuis restituendam (p. 172.) ideo censet irridiculam, quod tota terrae superficies non sit par tot hominibus, qui uixerint unquam, futura capundis, in qua illi pro tribunali Christi consistant. Sed quantopere fines uerecundiae transferit hic ratiocinator, acuratione magna Suffemilchius ostendit, (*in der göttlichen Ordnung in den Veränderungen des menschlichen Geschlechts c. 20. §. 407.*) Hoc unum ex eo decerpam. *wenn die Welt, noch*
bun-

hundert und funfzigmal länger, oder 150000. Jahre stehen sollte, so alt sie doch weder von den Aegyptiern, noch Chaldaern, noch Chinesern gemachet ist, und sie bliebe in ihrem ietzigen Zustand der bewölckerung, so hätten sie doch alle platz bloß in Europa zu stehen. Idem sit illis dictum, qui cum Gerharδο metuunt, ut hic orbis animantes possit omnes reuiuifcentes sustinere

Nunc vero desisto cum Gerharδο dimicare. In aliud enim laudis est certamen ueniendum, quod experietur CAROLVS SAMVEL MULLER, *Artium Magister*. Obstrictus ille beneficio conuictus Wolframsdorfiani, tam laudibus hunc euergetam iustis ornabit, quam de meritis Philosophiae in omnem Theologiam differet. Quo quidem tanto libentius officio perfungetur, quanto propius a matre genus Wolframsdorfii, antiquitate et maiorum gloria florentissimum, attingit. Itaque Vestrae, *Ciues Politissimi*, diffideremus beneuolentiae in commilitones, honestatis cupidos, Vestroque grato in uiros summos animo, qui post decessum de hac literarum sede eximie promerentur, si Vos rogaremus enixe, ut adolescentem bonae spei frequentia, studio, attentione, excitandum iuuantumque putetis P. P. Dom. XIV. post Trinit.

CIOIOCLXXVI

LITTERIS CAROLI CHRIST. DÜRRII ACAD. A TYPIS

Wittenberg, Diss., 1774-76



3

f

Sb.







1776, 65
21

RECTOR
ACADEMIAE VITENBERGENSIS
IOANNES MATTHIAS
SCHROECKHIUS

HISTORIAR. PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS
BIBLIOTHECAE ACADEM. DIRECTOR INSTITVTI
REGII HISTORICI GOTTINGENSIS MEMBRVM
ORDINAR. ET SOCIETATIS LATIN. MARCH
BADENS. SODAL. HONORARIVS

ORATIONEM

A

CAROLO SAMVELE MVLLERO

KEMBERGENSI

ART. LIB. MAGISTRO AC THEOL. CVLT

FVTVRO DIE VENERIS

H. L. Q. C. HABENDAM

CIVIBVS HVMANISSIMIS

COMMENDAT